Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 949
Quelle:
Copyright:

ſermo eius non ſpecialiter ad unum ſed ad uniuerſos generaliter dirigatur. Porro pacificus et dilectus domini ab eo quod in regno eius pax fuerit. et eum dominus dilexerit. appellatus eſt. Nam et pſalmus XLIIII. et LXXI dilecti et pacifici prenotantur titulo. Qui tamen etſi ad prophetiam chriſti eccleſieque pertinentes felicitatem et uires ſalemonis excedunt. tamen ſecundum hiſtoriam ſuper ſalemonem conſcripti ſunt. Itaque iuxta numerum uocabulorum tria uolumina edidit prouerbia. eccleſiaſten et cantica canticorum. in prouerbijs paruulum docens. et quaſi de officijs per ſententias erudiens. unde et ad filium eius ſermo crebro repetitur. in eccleſiaſten uero mature etatis uirum inſtruens. ne quid in mundi rebus putet eſſe perpetuum. ſed caduca et breuia uniuerſa que cernimus. ad extremum iam conſummatum uirum. et calcato ſeculo preparatum in cantico canticorum ſponſe iungit amplexibus. Niſi enim prius reliquerimus uicia et pompis ſeculi renuntiantes expeditos nos ad aduentum chriſti parauerimus. non poſſumus cantare cantica canticorum. Sed hic diligentius adtendendum. quod per tres libros auctoris diuerſus eſt tytulus. In prouerbijs enim notantur prouerbia ſalemonis filij dauid regis iſrael. in eccleſiaſten uero uerba eccleſiaſtes filij dauid regis ieruſalem. Superfluum quippe eſt hic iſrael, quod male in grecis (nunc Ισραηλ ἐν Ιερουσαλημ) *et latinis codicibus* (Vulg. non habet *Iſrael*, nec Hebr.) *inuenitur. in canticum autem canticorum nec filius dauid nec rex Iſrael ſiue ieruſalem inſeritur ſed tantum canticum canticorum ſalemonis. Sicut enim prouerbia eſt rudis eruditio et rudis inſtitutio ad duodecim tribus et totum pertinet iſrael. et quomodo contemptus mundi* (in Eccleſiaſte) *non niſi metropolitanis conuenit. hoc eſt habitatoribus ieruſalem. ita canticum canticorum ad eos proprie facit. qui tantum ſuperna deſiderant. Ad incipientes et proficientes et paterna dignitas et regni proprii merito vendicatur auctoritas. ad perfectos vero ubi non timore ſed amore eruditur diſcipulus. proprium nomen ſufficit. Equalis magiſter eſt et neſcit ſe regem. Que omnia referuntur ad chriſtum.* Praefationem hanc futuro *Bedae* Editori non negligendam excipit igitur in Codice *Commentarius in Parabolas*, prout extat in Edit. *Opp. Colon.* 1688. T. IV. *col.* 634. mire tamen jam exceſſu, jam defectu ab Editis varians; ut enim eodem modo ordiantur: *Parabolæ Salomonis* &c. *Parabolæ græce, latine dicuntur ſimilitudines* &c. mox tamen poſt verba: *laudibus occurrere declarantur*, in diverſum abeunt, Edita quidem: *Notandum autem, quod vulgata Editio* &c. Codex vero: *Salemon quippe qui interpretatur pacificus* &c. nec niſi poſt plures lineas in idem conveniunt: *nam et prouerbia plerumque tam obſcure dicuntur* &c. Atque id frequenter accidit, maxime priore Tractatus parte, qui in